D. ISIDORI

PRAESVLIS HISPALENSIS

ELOGIUM

RECITATVM PRID. NONAS APRIL. ANN. A CHRISTO NATO

M.DCCC.

A IO. GARCIA SANCTIO CONLECA ISIDORIANO

SCRIPSIT

AVGVSTINVS MVNNOZIVS ALVAREZIVS

SACERDOS

E REGIIS ACADEMIIS LATINA MATRITENSI

ET BONAR. LITTERAR. HISPALENSI

ET AD D. MICHAELIS

HVMANIORVM LITTERARVM P. P. O.

HISPALI APVD IOSEPHVM BRACCIVM

AMPLISSIMO. VIRO

SILVESTRO. AB. IBARRA. GALINDO

SACRORVM. CANONVM. SCIENTIA

SVMMIS. HONORIBVS. DECORATO

REGIA. KAROLI. III. CRVCE. INSIGNITO

REGIS. A. VELIS

ET. HISPALENSIS. ECCLESIAE. P. C.

DEVOTI. CLIENTES

IOACHIMVS. MEDINA. SANCTIVS

GABRIEL. MONTERVS. MONSALVVS

ORATIO.

Sacri Senatus Hispalensis Ecclesiae Viri clarissimi, Iuvenes Conlegae mei studiosissimi, ceterorum adstantium ordinum lectissima concio.

Si quantam hodierna dies, qua sanctissimi Praesulis Isidori non tristem obitum neque flebilem e vita discessum, sed laetum eius natalem ac felicem introitum in vitam illam beatam et aeternam magna cum religione celebramus, laetitiam nobis adfert, tanta mihi, laudum suarum praeconi futuro, dicendi facultas contingeret, usu atque exercitatione confirmata: et vobis iniucunda minus, et tanto Praesule digna magis existeret oratio. Sed illud, humanissimi Viri, infantiae meae condonandum existimate; qui non sponte mea, sed eorum, quibus nefas esset non obtemperare, vi coactus hunc locum contingere sum ausus, quo nihil, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria adferri obportere non ignorem.

Quid ergo de puerulo, adhuc humaniorum litterarum studia percurrente, liceat sperare, quod dignum sit Isidoro nostro, dignum huius auctoritate loci, dignum denique vestris auribus et sapientia? At vero, cum et Isidorus omnium

sae-

saeculorum memoria dignissimus, sacrarum infularum ornamentum insigne, Hispaniae nostrae decus immortale, Catholicae Ecclesiae Doctor egregius, sanctitatis exemplum, sapientiae lumen, nobis sit hodierna die, si minus debitis laudibus exornandus, certe iustis ac necessariis officiis prosequendus: et eximia vestra adversus coelestes omnes pietas et reverentia multis in rebus cognita saepe sit atque perspecta: non est magnopere pertimescendum, ne aut in causa tali, quae oblata est, oratio nobis deesse possit, aut vos orationis nostrae fractae quidem ac debilitatae adfecti taedio minus intentos animos atque ad audiendum alacres habeatis. Agite ergo, Viri clarissimi, humanitatem, qua praestatis, ut soletis, ostendite; et me Isidori res praeclare gestas percensentem, eumque perfectissimum veri Praesulis exemplar exhibentem, favore et benevolentia vestra prosequimini.

Ego vero, Viri clarissimi, Apostoli doctrina nixus sic existimo: in eo, qui Ecclesiae Dei praefuturus sit, has duas res inesse debere, et summam vitae sanctitatem, et rerum divinarum scientiam omnibus numeris absolutam. Nam et populus illi commissus ad aeternae beatitudinis praemia virtutis Christianae semita ducendus est, in quo ducis exemplum valet plurimum; et hostium tela Catholicae religionis veritatem obpugnantium sanae

doc-

doctrinae viribus retundenda, quod nisi scientia singulari sit praeditus nequeat efficere.

Quae cum ita sint, quantus utraque in re fuisse putandus est Isidorus, qui parentes sortitus pietate ac religione conspicuos, Leandrum et Fulgentium, fratres, doctores habuit, et litteris, et virtute praestantissimos? Quantus esse debuit, quem portenta non vulgaria, magnum futurum, ab auspicatissimis ipsius incunabulis divinitus praenuntiarunt? Quantus denique fuisse credendus est, quem non casus, ut saepe fit, non partium studia, non gratia potentum, pretio aut ambitione quaesita, prensantem, nihilque non molientem; sed eius spectata virtus singulari Dei providentia ad Hispalensis Ecclesiae regimen difficillimis Christianae reipublicae temporibus, obsistentem et prae animi demissione repugnantem, evexit?

Ac Isidorus quidem ut primum pastorali sollicitudini fuit admotus, non ignorans quantum sibi oneris esset iniunctum, et se populo, tanquam exemplar ad imitandum esse propositum, ut melius muneri satisfaceret, omnium virtutum exercitium, quas semper coluerat, adhibendum existimavit. Hinc et fides eius solidissima, et spes firmissima, et charitas in Deum et homines flagrantissima; hinc eius animi demissio profundissima; hinc eius in rebus agendis prudentia singularis;

hinc in pauperes, et ceteros calamitate pressos largitas profussissima; hinc in periculis pro Dei honore, et hominum salute adeundis excelsi animi magnitudo; hinc reliquae, ne singula persequar, virtutes omnes, quasi ruptis molibus, exundare, atque in omnium conspectum prodire coeperunt.

Quis enim non mirabitur in Isidoro nostro illam animi, terrena cuncta despicientis, magnitudinem, cum illum videat, Praesulem omnibus suffragiis renuntiatum, urgente populo, rege Recaredo iubente, non nisi vi raptum, et in Episcopali sede conlocatum, piis eorum desideriis adquievisse?

Quis non mirabitur studium eius vehemens et inflammatum, quo perditorum Christianorum conruptis moribus obviam ire, Ecclesiae disciplinam in pristinum splendorem restituere, conlapsam pietatem sarsire, et eos qui verae fidei castra reliquerant, reducere constituit? Qua quidem in re non minus eius prudentia, quam studium, spectanda est. In his enim omnibus et gravibus, et difficilibus ita versatus est, ut nec augeri mala sineret indulgendo, nec nimis urgendo suorum ab se voluntatem abalienaret. Itaque nec vi cogebat, nec, minis intentis, simulatam animi conversionem inutilem extorquebat; sed omnes blande compellatos, veri-

tatis

tatis viribus persuasos, suos reddere satagebat. O viri prudentiam singularem! O veri Praesulis et parentem se amantissimum, et pastorem vigilantissimum exhibentis, exemplar perfectissimum!

Nam de eius in pauperes largitate, in eos, qui calamitate aliqua premebantur, benignitate, in ceteros munificentia, quid pluribus adtinet explicare, cum neminem vestrum latere arbitror, quot alienae opis indigentes suis quotidie sumtibus aluerit? quot aut viduis aut pupillis opem tulerit? quot carceribus detentos missos fecerit? quot sive virorum, seu virginum monasteria aut erexerit aut repararit? Quot demum sacras aedes omni supellectilium genere ornatas reddiderit?

Dies me deficeret, Viri clarissimi, si omnia Isidori nostri cum largitatis documenta, tum ceterarum virtutum omnium, quibus maxime floruit, vellem recensere. Sed modus adhibendus est: neque enim omnia persequi, sed summas res adtingere ab orationis exordio constitui: et aliqua de tanti Praesulis doctrina, quod secundo loco proposueram; delibanda sunt.

At in Isidori doctrina commemoranda ita versabor, ut non omnia, quae in eius commendationem adduci possunt, in medium profe-

ferenda, atque exponenda vobis, existimem: aliter enim oratio nostra nunquam esset finem habitura.

Isidorus ergo iis artibus, quae ad humanitatem pertinent, quibusque puerilis aetas informari solet, adprime instructus, nobilissimae illi scientiae se devovit, quae recte ratiocinandi atque disserendi rationem docet, quae mores format, quae intimam rei cuiusque naturam perscrutatur: in eaque tantum excelluit, ut omnia philosophorum placita cognita haberet atque perspecta. Nec ab arithmetica, geometria, musice, ceteris etiam studiis matheseos, fuit alienus. Vix namque omnium disciplinarum orbis, quod graeci uno vocabulo dicunt *encyclopaideían*, celerrimae percipiendi facultati sufficiebat.

Sed cum Isidorus noster singulari Dei providentia ad maiora vocaretur; ad Ecclesiam Dei regendam, ad hominum salutem procurandam, ad haereticorum pertinaciam infringendam: ei disciplinae impensius incumbendum fuit, quae ceteras disciplinas omnes sicut dignitate praecellit, sic longe praestat utilitate: respicit enim supremi numinis naturam et adtributa.

Quam ut melius adsequeretur, cum hae-

braicae, tum graecae praesidium linguarum, quas intime calluit, adhibendum sibi constituit. Satis enim sibi persuasum erat, Theologica pertractantem, si quidem veri Theologi laudem consectetur, iis omnino litteris carere non posse. Sunt enim Theologi quidam non re, sed nomine: ii omnes, qui cum adversario versionem, quam dicunt vulgatam, respuente, et ad textus primigenios provocante, congredi non possunt; et si quando, quod saepe fit, in sacris codicibus explanandis, ad linguas illis recurrendum sit, quibus primitus divina ipsa volumina sunt conscripta, alienis oculis videre cogantur. Quod quantum Theologo sit indecorum, quisque perviderit.

Isidorus igitur Theologiam adgressus, non tricis et quisquiliis, non quaestiunculis distractus inutilibus, sed solidam semper eruditionem sectatus, eum in hac divina scientia progressum fecit, ut omnes jure doctrinam ejus et sapientiam demirarentur.

Testes hujus rei produco et Leonem quartum, et Bonifacium octavum, locupletissimos: quorum ille inter Ecclesiae Doctores retulit Isidorum; hunc haesitantem videbitis, utrum Isidorus Ambrosio sit praeponendus, an quatuor Ecclesiae Doctoribus quintus adiiciendus. Tes-

tan-

tantur etiam duo sacra, ab eo habita, comitia, quibus praefuit, et Hispalense secundum, et quartum Toletanum, celeberrima. Testantur omnes demum, aut qui à vitiorum coeno eius monitis et hortationibus ad meliorem frugem sunt traducti, aut qui à verae fidei tramite deviantes, mitissimis eius at gravissimis argumentis sunt reducti.

Hoc autem loco non est silentio praetereundum, Viri clarissimi, factum illud, memoria dignum, cum Hispalense comitium secundum, de quo ante diximus, haberetur. Nam cum Gregorius quidam Episcopus, natione Syrus, qui in Acephalorum haeresi primas agebat, homo petulans, ad disputandum acutus, quique multos sophismatis ac fallaciis in profundum erroris sui demerserat, superbia elatus, Isidorum lacessere ausus fuisset, ut secum palam congrederetur, hac lege proposita, ut qui victus evaderet, eam poenam subiret, quamcumque iudices imposuissent, Isidori sapientiam admiratus, quin iudicum sententiam expectaret, se plane convictum confessus est, et Catholicam veritatem fuit amplexus.

Quod si quis tot tamque gravibus documentis, mirabilem Isidori doctrinam testantibus, minus moveatur, eius adeat scripta et multa et va-

varia, quae sunt edita, et illum, nisi plumbeus sit, in omni disciplinarum genere portentum singulare demirabitur. Adeat Etymologiarum libros, ubi Varronem aut Nigidium, Demosthenem aut Tulium, Euclidem aut Archimedem, Hipocratem aut Galenum, Solonem aut Licurgum, Hieronymum aut Augustinum, ceteros demum in quaque disciplina praestantissimos, disserentes audierit, et admirabitur. Adeat reliqua eius opera, omni pretio cariora, quae, ne multus sim, silentio praetermittam.*

Habetis igitur Isidorum, Viri clarissimi, si non debitis laudibus exornatum, ingenii mei, quod scitis quam sit exiguum, tenuitate vetante, certe quoad potui, et qua per tempus licuit, brevitate laudatum. Habetis veri Praesulis, quemque requirit Apostolus, et summa vitae sanctitate, et scientia rerum non solum divinarum, quod satis erat singulari, sed humanarum etiam omnium omnimoda eruditione praestantis, exemplar perfectissimum.

Reliquum est, quo orationi meae finem imponam, ut vobis, Viri clarissimi, qui me dicentem tam patienter sustinuistis, et universo amplissimo vestro ordini gratias agam cumulatissimas ob vestra praeclara et multa et maxima in me, in Conlegas meos, in hanc do-

mum

mum omni tempore conlata beneficia; quibus nunc pro vestra in litteras et litteratos animi propensione cumulum maximum addidistis, decernentes vestro munificentissimo senatusconsulto, ut in hac domo, ubi Ecclesiastici adolescentes sub vestris auspiciis educantur, cuique prima fundamenta Sanctissimus idemque doctissimus Isidorus iecisse creditur, scientiarum, quae docentur numerus augeatur: quo fiet, ut quae nulli aut domestica disciplina aut morum probitate cedit, sapientia et doctrina ceteras omnes antecellat.

DIXI.

* Praeter libros Etymologiarum XX. scripsit Isidorus.

GRAMMATICA ET HISTORICA.

Differentiarum, lib. II.
De natura rerum, lib. I.
Chronicon.
De Viris Illustribus, cum Sancti Ildefonsi libello.
De ortu et obitu Patrum.
Gottorum, Wandalorum, et Suevorum Historiam cum Gottorum regum, et Toletanorum Antistitum catalogo.

Sententiarum, lib. III,
Mysticorum expositiones Sacramentorum.
Alegorias ex Veteri et Novo Testamento.
Contra Judeos, lib. II.
Proëmiorum librum.
De Ecclesiasticis Officiis lib. II.
Synonimorum, lib. II.
Epistolas aliquot.
Regulam Monachorum.
De conflictu vitiorum, et virtutum.
Expositionem in Canticum Canticorum Salomonis.

Haec Isidori opera primum in lucem prodierunt: Parisiis 1580. fol. per Margarinum de la Bigne. Deinde recussa sunt curatius, e vetustis exemplaribus emendata, Matriti iussu Philippi II. ex typographia regia 1599. fol. Iterum Parisis 1601. fol. per Fratrem Iacobum Du-Breul. Quae editio repetita fuit Coloniae Agrippinae 1617. fol. Novissime vero luculentissimis typis et expensis Bartholomaeí Ulloae Matriti 1778. vol. 2. in fol. Sed omnium editorum *acribeian* longe post se relinquet eruditissimus et doctissimus Faustinus Arevalus, olim e S. I. presbiter, qui et doctrina sua singulari adiutus, et conlatione centum septuaginta codicum M. SS. qui in Bibliotheca Vaticana adservantur, et nonnullorum aliarum Urbis bibliothecarum, editionem curat locupletissimam omnium Sancti Isidori operum, suis et aliorum eruditorum adnotationibus et lucubrationibus adornatam. Huius praestantissimae editionis tomus primus iam lucem vidit, cuius haec est inscriptio: „S. Isidori Hispalensis Episcopi, Hispaniarum „Doctoris, opera omnia denuo correcta et aucta, „recensente Faustino Arevalo, qui Isidoriana praemissit, „variorum praefationes, collationes, qua editas qua nunc „primum edendas, collegit, veteres editiones et codices M. SS. Romanos contulit. Auctoritate et impensa Francisci Lorenzanae. S. R. E. Presbit. Car-
„dinal.

„ dinal. Archiep. Tolet. Hispaniar. Primatis et Gene-
„ ralis Inquisitoris. Romae. Ann. M.DCC.XC.VII. Typis
„ Antonii Fulgonii: Facultate Praesidum."
Sed verendum, eheu! ne editor ob turbas Romae excitatas incepta perficere nequeat.

Ordinavit etiam Isidorus (*genuinam*) Sacrorum Ecclesiae Canonum Conlectionem (adhuc ineditam, sed quam typis Matritensibus orbis litteratus avidius expectat): quam cave, confundas cum altera (*spuria*) pseudo-Isidoriana, ab Isidori nostri sapientia et sanctitate prorsus aliena, quae potius Isidorum alium Mercatorem, seu verius Peccatorem auctorem habet, quaeque tot in Ecclesia Dei turbas excitavit, tot mala invexit.